

*XXVII. Nomina testium, quorum presentia & autoritate hæc firmata sunt subternotavi-
mus. Bernardus Præpositus majoris Ecclesiæ, Almarus Decanus, Thitmarus, Ecbertus Præposi-
tus beati Petri, Evergissus, Vffo, Cunradus, Herbordus, Sifridus, Godescalcus, Bernhardus, Be-
celinus, Luthewicus, Cunradus, Reinerus. De domo B. Petri & Andrea, Thegenhardus De-
canus, Bernardus, Ruthegerus, Henricus, Volcmundus, Reiboldus, Herwicus, Hebertus,
Hermannus, Walterus, Hartwicus, Albertus. Liberi isti, Volcwicus advocatus, Wide-
kindus frater ejus, Thietmarus de Buren, Werno de Sturmethe. De Ministerialibus Ludolfus
de Osdageffen, Cunradus Stapel, Eilbertus Villicus, Helmwicus, Hugo, Hermannus, Henricus.
Hoc quoque annotare placuit, quod communicato consilio Canonorum utriusque congrega-
tionis societas & fraternitas cum fratribus in Hersvithhusen eodem loco & tempore hoc modo
mutuo firmata est, ut tam pro vivis eorum quam pro defunctis secundum consuetudinem uni-
uscujusq; claustris propriis fratribus debitam fideliter in Domino persolvatur orationis officium.

*al. XXVIII

Quod exinde reliquum vitæ habuit Episcopus, totum in hoc
atque alijs Cœnobijs dotandis & exornandis collocavit, tam prospe-
ro rerum successu, ut suam ipse felicitatem suspectam haberet. Nam
reclusum aliquando in Borgentrich apud nos Sacerdotem, quem
conscientiæ suæ arbitrum, ob vitæ sanctimoniam, consulere in mo-
re habebat, ob hanc sollicitudinem adijt: Bellum, inquiens, con-
tra potentem Comitem de Arnsberg, qui Ecclesiam meam infestabat, mul-
tis impensis gessi: nihilominus ex quo Cœnobium Hardehusanum condere
cœpi, tam affluenter mihi omnia proveniunt, ut magnopere verear, ne hæc
merces mihi hujus vitæ à Deo tantummodo compensata sit, et defraudan-
dus sim in altera post obitum vita. Ad quæ Sacerdos: absit in illas angu-
stas cogitationes venire: Dei liberalitas est, bene de se meritis in utraque vi-
ta remunerare. Quin ideo tam largus in te est, ut liberalior in alios esse pos-
sis. His dictis ita recreatus est, ut exinde multò liberalius omnia
sua in pauperes & religiosos converteret: tantùmque adamavit reli-
giosos hujus Cœnobijs, & locum, ut in eo humari voluerit.

Accessit hoc anno Adriani quoque Pontificis, & Friderici Im-
peratoris diploma, quo uterque rogatu Bernardi Episcopi Hardehu-
num Cœnobium confirmat & in tutelam suscipit.

Adrianus
Pont. &
Frideri-
cus Imp.
Cœnobi-
um Har-
dehusa-
num
confir-
mant.

Adrianus Episcopus Servus servorum Dei, dilectis filiis Volberto Ab-
bati Hersvithhusensis Monasterii, ejusque fratribus, tam presentibus quam
futuris, regularem vitam professis, in perpetuum. Quotiens illud à nobis pe-
titur, quod religioni et honestati convenire dinoscitur, animo nos decet liben-
ti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapro-
pter dilecti in Domino filii venerabilis fratris nostri Bernhadi Patherbur-
nensis Episcopi, qui Ecclesiam vestram sumptibus suis construxit, precibus
inclinati, eandem Ecclesiam sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et
presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessi-
ones, quæcunque bona eadem Ecclesia in presentiarum justè et canonicè pos-
sidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Princi-
pum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci,
firma vobis vestrisque Successoribus et illabata permaneant. Sane novalium
vestrorum,